



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XXV. An possit sine solennitatibus iuris alienari patrimonium, ad cuius
titulum quis ordinatus est?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

bona immobilia emenda, qualis videtur esse pecunia pro dote Monialium tradita, quæ propterea non potest alienari, vel distrahi in alios vsus, quam vt de fructibus illius sustentari possit, potest sine solennitatibus iuris, & assensu Apostolico infumi in emendis agris, vel in emenda, aut construenda domo necessaria; quia huiusmodi pecunia solum seruari debet, donec infumatur ad vsu, ad quem fuit deputata; atque ita etiam videtur esse vsu receptum. Vide quæ dicebantur *supra dub. 10. & Lezanam tom. 2. c. 16. num. 57.*

18 Septimò, si res sit prius aliis debita, vel obligata, quia res transit cum onere suo; quamvis alij sentiant oppositum apud Quarantam *verb. alienatio. n. 36.* & apud Bonacinam *de alienat. bonor. Eccles. n. 9.*

Octauò propter eandem rationem, si sit relicta Ecclesiæ cum obligatione illam permutandi. Item multò magis, si detineatur ab Ecclesiâ iniuste. Quaranta *num. 43. §. 11.* Item si sit relicta per fideicommissum cum onere, quod post aliquod tempus alteri restituatur; quia transacto tali tempore, non est amplius Ecclesiæ. Quaranta *num. 45.* & Barbosa *de potest. Episc. allegat. 45. num. 61.*

22 Nonò, si debeat alienari necessariò, vt quia v. g. est indiuisum in manu secularis, qui vult illam vendere. Doctores, quos sequitur Bordonus *resol. 27. num. 3. & seqq.*

Decimò si vendatur, quia fuit empti cum pacto de retrouendendo; quia retrouenditio probabiliter non est propriè, & rigorosè alienatio, & contractus ad primo distinctus, sed potius est rescissio prioris contractus: quapropter pro retrouenditione non debetur laudemium, cum hoc debeat solum pro alienatione propriè, & rigorosè accepta. Sic Bordonus *loc. supra cit.* & Redoanus *de rebus Eccles. non alien. q. 66. num. 9.* & complures alij, quos citat Bonacina in *tract. de Emphyteusi, punct. 2.* quamvis Menochius *tom. 1. consil. 13. numero 6.* & Riccius *decis. 52.* probabiliter etiam sentiant oppositum, ex eo quod retrouenditio sit propriissime alienatio, cum per ipsam dominium in alterum transferatur, & consequenter, quod pro retrouenditione etiam debeat laudemium, quando emphyteuta vendidit rem cum pacto de retrouendendo. Vtraque opinio est probabilis, & forsitan posterior probabilior.

25 Vndecimò, si sit difficilis recuperationis, seu incerta, vel incognita, & intercedat pactum, quod Laicus emptor suis expensis, & periculo eam recuperet. Rota, & DD. quos citat, & sequitur Naldus *verb. bona. n. 9.* & Gauantus in *Man. Episcop. verb. alienatio. n. 42.*

DVBITATIO XXIV.

An in locis, vbi Extraneus Ambitiosè Pauli II. recepta est, possint fructus beneficiorum licitè in omni casu sine solennitatibus iuris vltra triennium, quin ad vitam vendi, vel locari.

SUMMARIVM.

- 1 Fructus Beneficiorum possunt vltra triennium simpliciter locari, etiam vbi est recepta Extraneus Ambitiosè, modò ipsi fundi vltra triennium non locentur.
- 2 Fructus non sunt quid Ecclesiæ, sed priuatorum.
- 3 Talis locatio expirat morte, vel beneficij amissione locantis, seu vendentis.
- 4 Locatio facta de fundo non expirat morte locantis, quia tunc locatio ipsum fundum immediate attingit.

5 Locatio vltra triennium ex extraneus Ambitiosè, inualida est, & canonicis penis obnoxia.

6 Beneficiarius, vel Prælatus successor tenetur stare locationi rei Ecclesiæ, quam eius prædecessor fecit; si tamen legitime facta fuerit; secus si è contra.

7 Successor Beneficiarius potest si prædecessor ex illo contractu locationis enormiter læsus fuerit, vt beneficio restitutionis in integrum: idem de pupillo.

8 Beneficiarius successor non tenebitur stare locationi factæ ab antecessore, si locatio sit ea lege facta, vt Conductor in primo anno soluat multum, in ultimis annis soluat parum, quia defraudantur successores.

9 Hæredes Beneficiarij, qui vt supra locauerunt, tenentur ad restitutionem anticipatam.

Respondetur affirmatiuè; quia in iuribus non prohibetur, quin possint fructus beneficiorum, & cæterorum bonorum Ecclesiæ vltra triennium vendi, vel locari, modò ipsi fundi vltra triennium non locentur. Ratio est, quia fructus non sunt quid Ecclesiæ, sed priuatorum. Accedit, quod talis fructuum venditio, vel locatio (cum conductor nullum ius acquirat in fundum, sed solum in fundi fructus ad venditorem, vel locatorem pertinentes) expirat morte, vel beneficij amissione vendentis, vel locantis: quapropter exinde nullum periculum Ecclesiæ, vel beneficiario successori imminet, sicuti rectè dixit Abb. in *c. 2. de his, que sunt a Prælatis, & in capite veniens, de transact. numero 1.* & Molin. *disput. 466. §. in tertio autem euentu.* Secus est, si fundus ipse locetur; quia tunc locatio ipsum fundum immediate attingit, & sic persequatur, etiam si locans moriatur, vel beneficium amittat. Abbas in *cap. continebatur, de his que sunt a Prælatis, num. 7.* Couarru. *lib. 2. var. capite 15. numero 6.* Molin. *cit. disput. 466.* & Silu. *verb. simonia, quest. 14.* Nam idè interdicitur, ne quis ad longum tempus, scilicet ad decennium, vel amplius locet; quia Paulus II. in Extraneus Ambitiosè, decernit, quod locatio, etiam vltra triennium, inualida, & canonicis penis obnoxia sit. Quapropter Beneficiarius, vel Prælatus successor tenetur stare locationi rei Ecclesiæ, quam eius decessor fecit, si tamen legitime facta fuerit, sicuti tenetur tutor pupilli, qui alteri tutori succedit; quamvis non teneatur ei stare, si legitime facta non fuerit, quin possit, si deprehendat Ecclesiam enormiter læsam ex illo contractu, vt beneficio restitutionis in integrum. Sic Couarruuias *cit. lib. 2. var. capite 15. ad finem.* Idemque dic in ordine ad pupillum de eo, qui alteri tutori in illius tutela succedit. Similiter non tenebitur stare, si deprehendat, locationem ea lege factam, vt conductor in primo anno soluat multum, in ultimis annis soluat parum, quia qui sic locat, defraudat successores (si fortè interea ipsum mori contingat) percipiendo partem pensionis successoribus debitam; quapropter tenentur etiam eius hæredes ad restitutionem ex illa pecunia anticipata pro numero annorum, qui post mortem beneficiarij locantis supersunt. Vide quæ dicuntur *infra cap. sequenti.*

DVBITATIO XXV.

An possit sine solennitatibus iuris alienari patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est.

SUMMARIVM.

- 1 Patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est, potest alienari sine iuris solennitatibus.
- 2 Patrimo

- 2 Patrimonium prædictum alienari non potest sine licentia Episcopi, quousque Clericus, qui ad illius titulum fuit ordinatus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel quid aliud, ex quo vivere possit.
- 3 Patrimonium prædictum post mortem talis Clerici potest alienari sine licentia Episcopi, quia non censetur amplius inter bona Ecclesiastica.

Responderetur etiam affirmatiue; quia extraneus expressè loquitur de bonis immobilibus, & mobilibus pretiosis Deo dicatis, & sic de bonis Ecclesiæ, non autem de bonis priuatorum, quale est patrimonium, ad cuius titulum quis ordinatus est. Vide *suprà* dub. præcedenti.

- 2 Illud tamen interim dicendum est, dictum patrimonium alienari non posse sine licentia Episcopi, quousque clericus, qui ad illius titulum fuit ordinatus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel quid aliud, ex quo vivere possit (quamvis post mortem talis clerici possit, quia cessat ratio, dictum patrimonium etiam sine licentia Episcopi, alienari.) Ratio est, quia tale patrimonium gaudet privilegio bonorum Ecclesiasticorum, ut in lib. de *Parlamentis*, dub. 25, & *suprà* cap. 5, dub. 2, sect. 1, num. 3, dicebam (licet quoad exemptionem Mediolani oppositum vñ receptum sit, quia de re vide *ibid.*, cit. dub. 25, & 27.) tum quia sic habetur ex Tridentino Concilio sess. 21, c. 1, & docent Silu. verbo *Clericus* 4, q. 13. Vasquez *opusc. de redditib.* cap. 2, §. 2, dub. 4, num. 47. Nauar. cap. 22, num. 18. Riccius de *res.* 86. Redoanus de *rebus Eccles.* non alienand. questione 51, cap. 13, & Bellet. 1. part. §. de bonis clericorum, num. 16.

DVBITATIO XXVI.

An Cardinalis subiiciatur pœnis statutis contra præsumentes alienare bona Ecclesiastica?

SUMMARIUM.

- 1 Cardinalis subest pœnis statutis contra præsumentes alienare bona Ecclesiastica.
- 2 Cardinalis non subest legibus pœnalibus, nisi exprimitur: id tamen non procedit in iis, quæ pertinent ad publicam Ecclesiæ utilitatem, vel quæ agunt de iustitia seruanda, vel fraude vitanda.
- 3 Cardinalis subest Cancellariæ regulis, in quibus de fraude vitanda agitur.
- 4 Cardinalis adstringitur iuramento, ne possit alienare bona Ecclesiastica, imò iurat non esse consensurum eorum alienationi.
- 5 Episcopus, Abbas, & Commendatarius in ordine ad bona suarum Ecclesiarum obstringuntur pariter iuramento de non alienando, ita ut si quis eorum per accidens non iuret, nihilominus in foro externo præsumitur iurasse, & puniatur ut periuus.
- 6 Quæ fieri solent, & debent, facta esse præsumuntur.
- 7 Episcopus, Abbas, & Commendatarius, si non iurauerint per accidens, non sunt periuvi in foro interno.
- 8 Cardinalis post Cardinalatum factus Episcopus tenetur vinculo iuramenti ad bona Episcopatus non alienanda, quamvis de non alienando iuramentum non emiseric.
- 9 Episcopus, vel Abbas ratione status tenentur emittere

huiusmodi iuramentum de non alienando bona Episcopatus, vel Abbatis.

- 10 Ea, quæ de iure veniunt, semper facta præsumuntur.

- 11 Iuramentum prædictum obligat ad petendum Sedis Apostolicæ consensum, etiam ubi extraneus Ambitiosus, quoad hanc partem recepta non est, spectatur. tamen verbis dictæ Constitutionis, secus tamen spectato usu, & praxi.

Responderetur affirmatiue, quia sic habet praxis Curiae Romanæ, tum quia, dato quod Cardinalis non subiiciatur legibus pœnalibus, nisi exprimat, ut sentiunt aliqui, id tamen locum non habet in iis, quæ pertinent ad publicam Ecclesiæ utilitatem, vel quæ agunt de iustitia seruanda, vel fraude vitanda. Quapropter Cardinalem subiici Cancellariæ Regulis, in quibus de fraude vitanda tractatur, affirmant Cancellarius in *regul. Cancellar. quest.* 38. Sarmient. *decisione* 64. in *adit. ad regul. Cancellar. Paris. lib. 12, quest.* 4, n. 8. & Caputaq. *decis.* 211. Ergo à fortiori subiicietur legibus bonorum Ecclesiasticorum alienationem in utilitatem Ecclesiæ publicam prohibentibus.

Quinimò addo, Cardinalem ad id etiam obstringi vinculo iuramenti (iurat enim specialiter se non solum Sedis Apostolicæ bona non esse alienaturum, sed etiam talium bonorum alienationi non esse consensurum) sicuti obstringitur Episcopus, & Commendatarius in ordine ad bona suarum Ecclesiarum, qui solent de hac re similiter iurare, ut patet ex Pontificali Romano: quapropter etiam si quis ex ipsis de facto per accidens non iuret, & postea de facto alienet, in foro externo puniatur ut periuus; quia in tali foro præsumitur iurasse. Nauar. de *reb. Eccles. non alien.* n. 12. Azor. lib. 9, cap. 1, *quest.* 9. & alij passim, & merito; quia quæ fieri solent, & debent, facta esse præsumuntur, l. ult. C. de *fidei iuramentis*.

Dixi, in foro externo; quia in foro interno reuera periuus non est, si de facto non iurauit, quidquid in contrarium sentire videantur. Nauar. loco *suprà* cit. & Sopranus apud Filiucium *tract.* 44, cap. 3, §. 4, *quest.* 2, quatenus aiunt, quod Cardinalis post Cardinalatum factus Episcopus teneatur vinculo iuramenti ad bona Episcopatus non alienanda, quamvis de non alienando iuramentum non emiseric, ex eo quod ut Episcopus, vel Abbas, &c. inquirunt ipsi, ratione status de iure debeat illud emittere: & quæ de iure veniunt, semper facta supponuntur. Sed quod dixi, videtur tenendum; quia in foro conscientie attenditur solum veritas, & cessat omnis præsumptio.

Ceterum, an iuramentum, quod Cardinalis Episcopus, vel Abbas emittit, obliget ad petendum Sedis Apostolicæ consensum, etiam ubi extraneus Ambitiosus, Pauli II. quoad hanc partem recepta non est?

Responderetur affirmatiue, si spectentur verba dictæ extraneus; secus si spectetur usus, & praxis, iuxta quam iuramentum emittit, & obligare solet; quia tunc non in plus obligat iuramentum, quam obliget dicta extraneus Ambitiosa. Sic Azor. lib. 9, cap. 1, q. 9, & 12. Couar. 2. var. c. 16. Sopranus loco *suprà* cit. cap. 1, *quest.* 12, num. 16. & alij communiter in materia de iuramento.

An autem in aliquo casu, non obstante dicto iuramento, possit Ecclesiæ rerum alienatio validè, & licitè fieri, vide *suprà* dub. 1, 20, & 21.